

quendam accolam Tharopem nomine cognitis, territus Dionysius, cum nō-
 dum transfretassent milites, amicorum praesidio occultè ad exercitum trāssit.
 Lycurgus pellices aggressus in loco qui appellatur Nysius, omnes interemis-
 se dicitur. At Dionysius exercitu ducto, Thracem pugna superatum, cap-
 tumq; priuauit oculis, domesticis eius cruci affixis. Tharopi, memor benefi-
 cij, Thracum imperium concessit, tradito ei orgia celebrandi modo. Huic Ar-
 gus filius succedens, & regnum & ceremonias mysteriaq; tradita suscepit.
 Quibus postmodum ab Orpheo ingenio & eruditione praesantia perceptis,
 cum nonnulla ad orgia addidisset, repertas à Dionysio ceremonias Orpheae
 posterì appellarunt. Poëtarum quidam, interq; eos Antimachus, tradunt, nō
 Thracum, sed Arabum regem fuisse Lycurgum, qui & Dionysio & Bacchi-
 dibus in Nysa Arabiae cum exercitu occurrisset. At Dionysius poena impis,
 praemio bonis affectis, ex Indis Thebas elephanto uectus peruenit. A trien-
 nio uerò ijs peregrinationibus exacto, Græcos instituisse Trieteridas tradunt.
 Ipsum quoque fabulantur, multarum gentium spolijs onustum, primum om-
 nium in patria triumphasse. Sed in hoc genere maximè conueniunt prisca. Di-
 sputant uerò, non paucas Græcorum urbes ab his fuisse conditas. Nam Ilien-
 ses, Nafij, & qui ciuitates incolunt liberas, in super Teti, alijq; plures, suos fuis-
 se illos ostendunt conditores. Teti quidem apud se ortum ea tradunt conie-
 ctura, quòd etiam adhuc in eorum urbe certo anni tempore è terra uini fons
 sua sponte fluat, sapore suauissimo. Cæteri uerò, hi quidem ostentant suam re-
 gionem Dionysio dicatam; hi erecta templa illi, sacraq; olim statuta. Postre-
 mò cum in pluribus orbis locis illius Dei meritum uestigia monstrantur,
 haud mirum est, multos existimare suas urbes patriamq; præ cæteris à Diony-
 sio dilectas. Sentit & poëta nobiscum, enumerans in hymnis eos qui de suo
 genere ambigunt, & simul illum asserens in Arabiae Nysa ortum. Haud uerò
 in scisum, Libya quæ ad Oceanum uergit accolas, de huius genere differen-
 tes, Nysam, & alia quæ de Dionysio feruntur, quorum multa apud eos aiunt
 permanere ad hoc usq; tempus, uestigia apud se facta contendere. His plures
 prisca Græcorum scriptores, poëtaq; hiq; etiam qui postmodum secuti sunt,
 assentiuntur. Nos uerò, ut nihil eorum quæ de Dionysio comperimus scrip-
 ta, omittatur, paucis quæ tum à Libyis dicta, tum à Græcis scriptoribus,
 praesertim à Dionysio ueteris historiae auctore tradita sunt, absoluemus. Hic
 enim Dionysij, Amazonum, Argonautarum, Troianiq; belli gesta, ac plura
 alia memoriae prodidit, inuicem conferens & quæ à prisca poëtis, & quæ ab
 historicis narrantur. Hic ait, primum Linum in Græcia numeros ac melodiã
 reperisse. Cadmum ex Phœnicia aduexisse literas, primumq; Græcam linguã
 inuenisse, ac rebus dedisse nomina. Ad hæc characteribus formam indidisset
 communiq; uerbo literas, quoniam ex Phœnicia ductæ essent, appellatas
 Phœnicias. Sed à Pelasgis qui primi eis literis usi sunt, Pelasgas dixere. Lini
 tum poësi, tum melodiã excellentis, plures discipuli extitere. Horum tres præ-
 cipui habitii, Hercules, Thamyris, Orpheus. Hercules cithara discens, cum in-
 genio esset tardo, ob eamq; rem uapularet, ira motus Linum cithara peremit.
 Thamyris natura ad percipiendum apta, musicam didicit. In qua cum pluri-
 mum excelleret, dixisse illum aiunt, suauius se quam Musas cantare: quibus
 irritata uerbis dea, & eum priuarunt musica, & lyrã abstulerunt: quem admo-
 dum Homerus his cōsenties scribit. De Orpheo singulatim referet, cum eius
 opera à nobis recensentur. Linum tradunt primi Dionysij gesta literis Pelas-
 gis edidisse, quib. & Orpheus usus est, ac Pronopides Homeri magister, uir
 ingenio musicaq; egregius. Thymitum in super, Thymiti Laomedotis, qui Or-
 pheci ætate fuit, plurimis orbis peragratis locis, in Libya occidentè uersus Oce-
 anum usq; cum descendisset, uidisse Nysam, in qua prisca incolæ nutritum Diony-
 sium uolunt: ibiq; diligenter actis huius Dei apud Nysæos perquisitis, cōposuisse
 poëma